


05

A

978





I
P

D
SA

A



Q. F. F. S.
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE

**NON RESCIN-
DENDO CONTRACTU
CONDUCTIONIS OB ME-
TUM SPECTRORUM,**

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRANDENBUR-
GICO, ET DUCAT. MAGDEB. GUBERNATORE,

&c. &c.

PRÆSIDE

DN. CHRISTIANO THOMASIO,
SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS BORUSSIÆ CON-
SILIARIO INTIMO, UNIVERSITATIS FRIDERICIANÆ
DIRECTORE AC PROFESSORE PRIMARIO, FACULTATIS
JURIDICÆ ORDINARIO, ET h. t. DECANO,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES OBTINENDI,
IN ALMA FRIDERICIANA

IN AUDITORIO MAJORI

Horis ante- & pomeridianis. d. 10. April. MDCCXI.

Placido Eruditorum examini submittit

JACOB IMMANUEL HAMILTON,
Pomeranus.

HALÆ MAGDEB. Typis CHR. HENCKELII, Acad. Typ. 1711.

DISETTATIO IN AUCTORITATEM
 NON RESCIN-
 DENDO CONTRACTU
 COMMODICATUM
 AUCTORITATE
 DOMINI
 PHILIPPO
 PRINCIPIS BORRHAVIENSIS
 DOMINI
 THOMASIO
 PRINCIPIS BORRHAVIENSIS
 DOMINI
 JACOBI IMMANUEL HAMILTON
 PRINCIPIS BORRHAVIENSIS





DISSERTATIO INAUGURALIS
DE NON RESCINDENDO
CONTRACTU CONDUCTIONIS
OB METUM SPECTRORUM.

§. I.



Nte omnia videndum de qua- Pios & pro-
stione præjudiciali an sint spectra hos etiam vi-
Ubi prima cautio, ne quis præcipi- ros de existen-
tante eos qui de existentia Spectro- tia Spectro-
rum dubitant aut eam negant, a- rum dubitare.
theismi & impietatis arguat, cum
etiam viri pii & probi omnibus
temporibus, maximè autem post
ortam lucem Evangelii fuerint, qui non absque ratio-
nibus in hanc sententiam inclinaverunt (a).

(a) Cum propositum non sit, cum quoquam velle inde-
center rixari, & tempus non superfit, plures autores
qui de spectris scripserunt, evolvere, credo mihi à nemi-
ne vitio verti posse, quod potissimum operam daturus
sim, ut in testimonium adducam Ludovicum Lavate-
rum,

A

rum,

rum, Theologum Tigurinum eximium, inprimis cum hic intractatu de spectris maximoperè operam dederit, ut sententiam de existentia spectrorum, quantum fieri potest, multis argumentis corroboraret. Ita vero ille statim in præfatione. *Multi, inquit, qui nihil harum rerum unquam vel viderunt vel audiverunt, putant omnia, quæ de iis dicuntur, esse meras nugas & aniles fabulas; homines enim simplices, item timidos, & superstitiosos sibi ipsos persuadere, quod hæc vel illa viderint, & audiverint, cum res longè aliter se habeat. E diverso sunt alii, qui cum primum aliquid audiunt, notu præsertim, statim existimant, spectrum aliquod vagari, magnamque animo molestiam capiunt, eò quod res physicas à spectris non possint secernere. Quidam vero, præcipuè illi, qui ex animabus defunctorum lucrum venantur, dicunt, pleraque, quæ audiuntur & conspiciuntur, animas esse mortuorum, opem à viventibus petentes, ut è cruciatu maximorum dolorum Purgatorii liberentur. Multi non plebeji solum homines, sed etiam EXCELLENTESSIMI viri, mirantur, an sint spectra, & quidnam sint. Et adhuc clarius part. I. cap. 2. p. 8. Complures fuerunt omnibus temporibus, qui negarunt spiritus aut spectra existere. Epicurei quæ de illis referuntur, omnia riserunt, & pro figmentis ludibrisque habuerunt, quibus pueri & imperiti atque simplices homines terrerentur &c. Hodierno quoque die multi PII & BONI VIRI illa quæ de spectris ultro citroque dicuntur, fabularum loco habent, partim quod toto vitæ tempore nulla eis apparuerunt, partim & præcipuè, quod superioribus aliquot seculis homines confictis apparitionibus, visionibus & miraculis à Monachis & Sacrificibus toties decepti sunt, ut nunc vera quoque pro falsis habeant.*

§. II.

Deinde etiam opera danda, ut, antequam de quaestione hac præjudiciali sententiam nostram aperiamus, declaremus quid nomine spectrorum intelligamus. (b) Ubi missis sententiis variis Ethnicorum Philosophorum de spectrorum definitione (c) supponimus, eos, qui spectrorum existentiam hodie inter Christianos adstruunt, per spectra intelligere substantias incorporeas, quæ conspicuæ vel auditæ, vel tactu etiam perceptæ, hominibus terrorem inferunt. (d) Utrum vero hæc substantiæ incorporeæ sint animæ defunctorum, an angeli aut dæmones, ad nostrum scopum quidem id non pertinet, sed ea disquisitionis Dominis Theologis est relinquenda. (e)

*Premissa de-
finitio spe-
ctorum.*

(b) Ne scilicet conceptu vago & confuso inepti fiamus ad observandas leges bonæ disputationis, Unde mallei, ut ipse Lavaterus *part. 1. c. 1.* non collegisset tam varia & diuersa, lectores magis confundentia, quam erudientia de viso, visione, terriculamento, phantasmate, phasmate, pneumatæ, Laribus, Præstitibus, Hostiliis, Geniis, Penatibus, umbris, Lemuribus, Maniis, Lamiis, Strigibus, Gorgonibus, incubis, succubis, Empusis, Faunis, Satyris, Silenis, Onocentauris, Harpyiis, Syrenibus & aliis infinitis. Quamvis aliquo modo excusationem mereatur, cum titulus libri non solum de spectris loquatur, sed et de Lemuribus, & magnis, atque insolitis fragoribus, variisque prælagitionibus &c.

(c) Quidam ex philosophis spectra appellabant species visibiles, & quæ nos spectra vocamus dicebantur ab iis Phantasmata. Gellius *l. 5. c. 16.* *Stoici causas videndi dicunt radiorum ex oculis in ea, quæ videri queunt, emissionem, aerisque simul intentionem.* Epicurus autem *assuere semper ex omnibus corporibus simulacra quædam corporum.*

A 2

porum

§. II

porum ipsorum, eaque sese in oculos inferre, atque ita fieri sensum videndi putat. Cicero l. 15. Epist. 16. *Quæ Epicurus & Democritus ἰδαλα, Cælius Epicureus spectra dixit.* Scilicet, ut Gallendus explicat ad lib. 10. Laertii p. m. 129. species seu formas visibiles, sensibiles, intentionales, quas Cicero imagines, Quintilianus figuras, Lucretius simulacra dixit. Plutarchus de placitis philos. l. 4. c. 14. ea explicat de speciebus visibilibus in speculo. Phantasmata autem vocat ibidem c. 12. quibus rapimur Phantastico & inani attractu. Hæc offeruntur Melancholicis & furiosis.

(d) Lavaterus l. 1. c. 1. p. 1. *Theologi accipiunt (spectrum) pro substantia incorporea, quæ conspectu vel auditu hominibus terrorem infert.* Nos addidimus sensum tactus, cum multa narrentur de spectris nec visis, nec auditis, sed tactu perceptis. Confer Lavaterum part. 1. c. 4. p. 18.

(e) Gentiles enim, item Judæi noviores, item Turcæ crediderunt ac credunt, animas quasdam errare, & subinde hominibus apparere. Lavaterus part. 2. c. 1. Pontificii etiam docent, animas in inferno & purgatorio existentes quandoque apparere, atque Laicos instruunt, quomodo circa tales animas se gerere debeant, item docent, esse bonum opus, animas liberare. *Id. ibid. cap. 2.* Quisnam sit scopus & effectus huius doctrinæ docet c. 3. & postea falsitatem eius prolixius ostendit capite 4. & seq. per argumenta Theologica inculcans, quod spectra sint angeli mali, rarissime boni, nequaquam verò animæ mortuorum.

S. III.

Rationes eorum qui spectra negant.

Rationes igitur, quibus utuntur, qui spectra negant, potissimum ad duas classes referri queunt, vel enim factum respiciunt, vel causas facti. Quoad primam classem

classen non diffitentur ipsi dissentientes, quod sæpius homines qui putarunt spectra sibi apparuisse, fuerint decepti à seipsis, sæpius vero ab aliis hominibus. (f) Quoad secundam classen utriusque deceptionis (g) variorum causæ esse possunt ac solent, tam naturales quam morales, puta melancholia, furor, meticulositas, imbecillitas visus & auditus, pertinacia, amor, odium, ocium, invidia, avaritia, ambitio, lascivia, libido, cupiditas alios irridendi, furandi, superstitio &c. (h)

(f) Sic Lavaterus *part. 1. c. 2.* variis exemplis declarat, melancholicos & furiosos multa sibi imaginari, quæ revera non sunt, quorsum etiam refert Lycantropiam & Hydrophobiam, item Ephialtem. In *capite 3.* probat meticulosos homines fingere, se spectra videre & audire, in primis mulieres & pueros. In *capite 4.* ostendit, quod illi qui imbecilli visu & auditu sunt, sibi multa imaginentur, quæ revera non sunt, item Ebrios multa videre quæ non sunt, quosdam videre seipsum, maximas item deceptiones oriri, si metus & imbecillitas visus aliorumque sensuum concurrant. In *capite 5.* transit ad eos, qui alios terrent, ut putent se spectra vidisse vel audivisse, v. g. juvenes hilares & jocosos, vestes, quibus diabolum referant, induentes, scorta, scortatores, fures. *Capite 11.* recenset varias res physicas, vulgo pro spectris habitas, puta animalia, mures, catts, onocrotalos, canes, &c. Item echo, noctu lucentia, lucernas arden-tes, exhalationes, res in speculis opticis visas &c.

(g) Ita v. g. meticulositas causa non solum est, ut ipsi nos decipiamus, sed etiam ut decipiamus alios, quemadmodum oscitante uno oscitat & alter. Ita pertinacia & prætensa infallibilitas, aut pudor intempestivus errorem confitendi, non solum nos impellit, ut alios studio decipiamus

piamus, sed etiam videmus quotidie homines tali pertinacia praeditos, a seipsis decipi, ut credant se talia videre, quae non vident. Quamvis ista applicatio non possit fieri in omnibus causis, sed ex illis quaedam magis pertineant ad deceptiones proprias, ut v. g. imbecillitas visus, quaedam ad deceptiones aliorum, ut cupiditas furandi, scortandi &c.

(h) Vide Lavateri capita modo lit. f. recensita. Potissimum autem huc pertinet *cap. 10. part. 1.* cuius rubrica est: *mirum non esse, quod olim false apparitiones factae sint, neque mirum esse, si hodie quoque fiant*, ubi ipse sequentes causas, avaritiam, invidiam, ocium, amorem &c. recenset quod haec praeter reliquis hominum generibus eos, qui in monasteriis & collegiis degunt, ad fingenda spectra irritent.

§. IV.

*Fraudes mul-
tae sacerdo-
rum apud Gen-
tiles & Cleri
Pontificii hic
intervenientes*

In primis autem tam Gentilium sacerdotes, quam apud Christianos Clerus Pontificius varias causas habuerunt, fictione spectrorum decipiendi Laicos, aut alios incautos, atque illis inanem metum incutiendi; Potissima causa fuerunt, expletio tecta libidinis, opum & gloriae acquisitio, persuasio variorum errorum qui si a Laicis crederentur, augebant honores & divitias Cleri &c. (i)

(i) Lavaterus *part. 1. c. 6. p. 22.* *His accedit, quod omnibus saeculis aliqui sacerdotes extiterunt, qui res miras exercentes, & magicis artibus operam dantes, stultos homines, qui illos maxime fecerunt, variis modis dementarunt, ut magnam vim argenti colligerent, & voluptatibus indulgerent.* Ubi simul ex Josepho adducit historiam de Mundo, ope sacerdotum Aegyptiorum, sub

ficatio-

fictione ac si Anubis esset, Paulinam nobilem foeminam stuprante, item ex Ruffini Historia Ecclesiastica, de Tyranno sacerdote Alexandrino, sub specie Saturni matronas plurimas comprimente. In cap. 7. ex Theodoro Lectore refert exemplum Timothei Eluri itidem Alexandriae se angelum mentientis, & sic ad Episcopatum evecti, item notam historiam de quatuor monachis ordinis praedicatorum, Bernae initio seculi decimi septimi multas appariciones fingentium, ad refutandos Franciscanos, immaculatam conceptionem virginis fingentes, & propterea crematos. Subjungit Lavaterus p. 34. *Certum est, quod, postquam illorum monachorum impietas, doli & scelera percrebuerunt, res Clericorum labefactari ceperint, & multis piis viris magis magisque suspensa esse, cum dixerunt, hanc vel illam animam opem eorum expetivisse, cereos sua sponte accensos fuisse: hanc vel illam imaginem locutam, lacrymatam esse, ab uno loco in alterum se movisse: hunc vel illum divum monasterium ornasse pretiosis reliquiis: cruces sanguine Christi conspersas esse: etsi confirmationem Pontificum super his rebus impetrarint, tamen multi deinceps noluerunt credere, rem ita se habere.* Item, quod hic vel ille sanctus Pater in ecstasim incidens res mirandas viderit: quod Franciscus & Catharina Senensis quinque vulnorum Christi stigmata in suo corpore gestarint. Ad haec non immerito dubitari cepit de transsubstantiatione panis in corpus Christi, cum toties hostiam veneno infecerint. Item de illis, quae de indulgentiis, vigiliis, ordinibus, purgatorio, aqua lustrali, satisfactionibus, pleno ore declamantur. Capite 8. ex Sleidano recenset ludum cruentum & funestum, à monachis Franciscanis Aureliae in Galliis 1534. inventum, in odium foeminae cuiusdam honestae, idem quod testamento suo caverat, ut sine pompa & strepitu sepeliretur. In capite 9. varia exempla ex

Scrum-

Stumpſio Parochi in Helvetiâ, ſub ſpecie beatæ virginiſ virgunculæ ſimplici & ſuperſtitioſæ apparentis, eique ſtuprum perſuadentis, ex Roterodamo, alterius Parochi, ſpectrum fingentis, ſed fuſte probe dolati, item alterius, vivos caneros, quibus ad latus cereoli ardentis affixi erant, in cœmiterium noctis tempore inmittentis, & plebem decipientis, ac ſi defunctorum animæ eſſent, quæ miſſis & eleemoſynis flagitarent è cruciatu liberari, & ſimilia ex Buchananô & propria experientia narrat. In capite 10. p. 45. vero oſtendit nec ipſos Pontifices à fingendis ejuſmodi apparitionibus & ſpectris immunes fuiſſe, exemplo Bonifacii octavi, aliorumque. Et notanter dicit p. 44. *Adhæc Clerici (pontificii) hanc quoque prerogativam habent, quod homines, præſertim ſuperſtitioſi, eos ſumma obſervantiâ colant & diligant: nemo putat eos rebus malis, fraudibus & dolis ſtudere: omnes expectant ab eis longè alia. Poſſunt igitur, ſi rebus malis operam dent, facilè latere, niſi Deus malitiam eorum, mirabili indicio prodat, & in lucem protrahat.* Propius ad rem faciunt ea quæ Parte 2. cap. 3. p. 105. diſſerit. *Hiſ apparitionibus miſſæ, ſimulacra, ſatiſfactiones, peregrinationes religionis ergo, reliquiæ ſanctorum, vota monaſtica, ſeriæ, auricularis confeſſio & alii cultus atque ceremoniæ; breviter omnia, quæ ex ſcripturis ſacris probari non potuerunt, magnam autoritatem paulatim naſta ſunt. Res eo deducta fuit, ut multi pii & ſimplices homines geniũ ſuum fraudarent, ut haberent, quibus otioſos monachos & ſacerdotes alerent & quæ ſimulacris offerrent. Sacella, altaria, monaſteria, perpetuos lychnos, anniverſaria, fraternitates, & alia fundarunt, ut ſuos ex tormentis purgatorii redimerent. Hoc enim ut facerent, nocturni illi lemures juſſerunt. Mutanda aliquando eorum horratu fuerunt teſtamenta. Hiſ rebus ſacerdotes & monachi parocianas*

roecias, collegia & monasteria annuis redditibus valde auxerunt: optima pradia, vineas, agros, prata, vinaria, piscinas, mancipia, jurisdictiones, magna dominia & jus gladii sibi compararunt. Postquam enim homines firmiter crediderunt animas redire, plerique omnia fecerunt, quaecunque ille postularunt. Hoc modo festum omnium sanctorum & ordinem Carthusianorum ortum esse simul perspicue ostendit p. 106. seq. Parte 3. cap. 4. p. 181. docet simile interesse sacerdotum Ethnicorum, dum umbræ apparentes petierunt honestam sepulturam, & ut iusta funebria ac aliæ ceremonie in eorum gratiam haberentur, unde conotaphia nata esse, Septimas, Tricesimas, Anniversaria sacra &c. Denique ead. part. 3. cap. 10. p. 200, adhuc alia observat huc pertinentia; scilicet persuasum esse populo, ad pellenda spectra imprimis conferre, si quis oret Ave Maria. Ulterius progressi, inquit p. 202. aquam peculiaribus ceremoniis exorcisarunt, & consecrarunt &c. hanc vim ei tribuentes inter alia, quod pellat spectra & phantasmata. Salem similiter consecrarunt, & docuerunt, quocunque proficiatur, pellere spectra &c. Adhæc lucernas, palmas, herbas & alias creaturas certis ceremoniis & verbis adjurarunt, ad pellenda, ut vocant, phantasmata. In loca illa, in quibus spectra vel visa vel audita sunt, & hæc & alia, ut reliquias sanctorum, detulerunt. Affirmarunt etiam campanas vel tintinnabula suo clangore diabolos ex aere pellere. Ceterum anime illæ fictitiæ nihil petierunt tam obnoxidè, quàm ut frequentes missæ in eorum gratiam celebrarentur: illas enim ad redimendum eas ex purgatorio maximas & incredibiles vires habere asseruerunt. Et p. 205. Audivi homines, qui profiscerentur, se tam superstiosos fuisse, ut, cum sacerdos hostiam, ut vocant, elevaret in celebratione missæ, statim manu vultum deterferint, quod crederent

derent ad hoc prodesse, ut nulla spectra ad spectabili forma illis essent occurrura.

§. V.

Rationes affirmantium spectra, non omni exceptione majores.

Confirmavit eos, qui existentiam spectrorum negarunt, quod viderent rationes, quæ pro eorum existentia proferuntur, ita esse comparatas, ut ex hypothesi ipsorum dissentientium non pauca contra eas proferri haud absque verosimilitudine possint. Id quod docebunt sequentia.

§. VI.

Scilicet (1.) provocatio ad varias historias gentium.

Dari spectra probare voluerunt dissentientes ex variis historiis gentium. (1) Sed non deficit prioribus exceptio, etiam historicos Gentium potuisse bona fide errare, uti errarunt hodiernum multi viri boni pontificii, miracula falsa pro veris narrantes, (m) aut etiam ipsos, de quibus talia narrantur vel fuisse deceptores, aut deceptos. (n)

(1) Huc pertinet integrum *Caput 12. part. 1.* Lavateri, scilicet ex Svetonio, quod Triton Julio Cæsari apparuerit, ex Plutarcho, Theseum in pugna Marathonica visum, item de Bruti malo genio, item ex Valerio Maximo, Dione Cassio, Plinio, Capitolino, Vopisco, Ammiano Marcellino, Lucano, plura exempla ibidem adducta.

(m) Ut taceam quæ de historicorum Græcorum & Romanorum quorundam fide, etiam in aliis suspecta, jam alii narrarunt. Conf. dissert. Dn. Præsidis de fide juridica cap. 2. §. 12. 17. seq. & in cautel. circa præcogn. Jurispr. c. 5. §. 67. seq.

(n) Quod facile patebit, si quis ad singula a Lavatero adducta in d. cap. 12. applicet monita ejusdem jam supra lit. f.

lit. f. excerpta; annon metus, debilitas visus, lascivia, ambitio, avaritia &c. ejusmodi historiis occasionem dederint.

§. VII.

Sed tamen insuper probatur, esse spectra, ex historia veteris Ecclesie & scriptis Sanctorum Patrum. (o) Hic vereor, ne increduli eadem opponant, quæ opposuerunt historiis gentilium, (p) ne urgeant, sepe sub nomine Ecclesie veteris, latere Ecclesiam superstitiosissimè Papalem, (q) item nec Patres primorum seculorum, etiam alius maximè venerandos, hic à suspitione fraudum, saltem piarum, immunes esse. (r)

(2.) *Ad historias veteris Ecclesie & scripta sanctorum Patrum.*

(o) Ita Lavaterus *part. I. c. 13.* ex Sozomeno, Theodoro Lectore, Nicephoro, Abbatia, Ambrosio, Augustino, Gregorio, vitis Patrum, vita Johannis Chrysostomi, exempla de spectris adducit.

(p) Scilicet Patres, etsi fuerint viri Sancti, optimi, pii, homines tamen fuerunt. At errare humanum est. Affectibus incitari ad pias fraudes, ut vocantur, humanum est.

(q) Loquatur hic ipse Lavaterus *d. c. 13. p. 60.* *Apud Nicephorum & Abdiam multa extant de visionibus, somniis, miraculis sanctorum, item de spectris. Diligentius enim illa descripsisse doctis videntur, quam alia, que plus ad propositum fecissent, & majore cum fructu a lectoribus cognosci potuissent. Evolvendi historias, que posteris temporibus, præsertim a monachis descriptæ sunt, innumera huius generis occurrunt. Hoc tamen dissimulare non possum, multa ab eis ita describi, ut lectoribus non immeritò suspecti sint. Ludovicus Vives, Beatus Rhenanus, & alii viri docti in descriptione aliarum*

rum quoque rerum, de monachorum Chronicis queruntur, quod ab hominibus indoctis absque iudicio collecta sunt. Subjungit quidem Lavaterus. Quis que tamen tribuat eis, quantum voluerit. Etsi vero multa in illis sint inepta & ridicula, tamen credendum est, quaedam saltem ita se habere, ut illi literis mandarent. Sed mallem, ut rationem addidisset, cur illis in quibusdam, quæ de spectris narrant, credendum sit. Nam de aliis rebus nemo forte litem movebit Lavatero. Imo audiamus ipsum Lavaterum capite statim sequente 13. p. 62. Quod legendas sanctorum, ut vocant, promtuarum exemplorum & vitas patrum attinet, in quibus multæ apparitiones spirituum continentur, non multum iis tribuere possumus. Pleraque enim, quæ in illis extant, parum sunt verosimilia. Fortassis religionem & timorem hominibus fctis illis narrationibus injicere voluerunt. &c. Petrus Damianus &c. cuius magna est in Papatu propter doctrinam & pietatis opinionem autoritas, narrat quendam Clericum Colonensem, quodam tempore equo fluvium transeuntem, Sanctum Severinum, Episcopum Colonensem, (qui non multo ante è vivis excesserat, & sepulcro conditus multis miraculis claruerat) in illo vidisse. Hunc apprehendisse frenum Clerici ne ulterius progrediretur. Clericum obstupuisse, & cur illic tantus vir detineretur? inquisivisse. Episcopum petivisse, ut manum ei præberet, ut sentiret, quomodo haberet. Cumque manum Clerici aque impressisset, momento, propter ingentem calorem carnes resolutas disfluxisse, ut nuda ossa tantum apparerent. Ad quem Clericus: Cum sis iam celebris in Ecclesia, qui sis, ut ita crucieris? Respondit Severinus: hanc solum ob causam, quod horas canonicas per distincta horarum spatia non absolui. Fui enim in aula Imperatoris, consilii eius occupatus. Mand omnibus coacervatis, toto die negotiis aliis sui implica-

tus, ideò hujus ardoris fero supplicium. Sed omnipotentis Dei auxilium uterque imploremus, ut manum tuam restituat, quod statim factum est. Et dixit ad Clericum: *Vade fili, obsecra fratres ecclesie nostrae, ut pro me preces fundant, & indigentibus eleemosynas distribuunt, sacrificiorumque votis insistant.* His enim peractis ego mox ex tormentis illis liberabor, & expectantibus me beatorum civium choris adjungar. Et merito Lavaterus totam hanc narrationem pro fabulosa habet. De aliis igitur, cur non idem ferant judicium alii, causam non videmus.

(r) *Quod Gregorii dialogos attinet, inquit Lavaterus part. 2. cap. 12. p. 145. non possum dissimulare, multa illis contineri, quae nequaquam verisimilia, sed fabulis analogis similia sunt. Non quod sanctus ille Pater ex malitia ea exscripserit, sed quia nimis fuit credulus, & multa ex aliorum potius relatione in suos libros contulerit, quam quod certa & explorata habuerit &c. Deinde aetate Gregorii captum est, illis apparitionibus & visionibus multum tribui. Vera quoque & simplex doctrina illis ipsis temporibus valde coeperat labefactari. Phurimum autem refert, in quae quisque tempora incidat. Ipsemet fassus est sua tempora &c. Quidam eum excusantes dicunt, quod ideò dialogos suos miraculis & prodigiis referferit, ut pertinaces & duri animi Longobardorum illis exemplis mollescerent, veramque religionem amplecterentur, quam tantopere insectati fuerant. Quod autem nequaquam utile sit his adminiculis, fictis scilicet narrationibus propagare veram fidem, etiam Vives lib. 5. de tradendis disciplinis, agnoscit.* Sed forte Augustini saltem autoritas erit omni exceptione major.

Utinam eam non ipse Lavaterus deprimeret, dum in parte 3. c. 10. p. 199. seq. ubi voluit ostendere, varias superstitiones paulatim crevisse, de eo sic scribit: *D. Augustinus lib. 22. de civit. Dei c. 8. ponit talem historiam. Vir tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi sive Cubedæ appellatum, ubi cum effractione animalium & servorum suorum, domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti, comperisset, rogavit nostros, mo absente, Presbyteros, ut aliquis eorum eò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans, quantum potuit, ut cessaret illa vexatio. Deo protinus miserante cessavit. Acceperat autem ab amico suo terram sanctam, de Hierosolymis allatam, eamque suspenderat in cubiculo suo, nequid mali etiam ipse pateretur. At ubi domus eius ab illa infestatione purgata est, quid de illa terra fieret, cogitabat, quem diutius in cubiculo suo, reverentiae causa, habere volebat &c.* Subjungit statim Lavaterus. *Hinc claret, superstitionem statim cepisse, & ut fit, ingenti incremento auctam esse &c.* Mox etiam captum est, orari pro animabus, & sacrificari, & bono quidem animo, quod ex quibusdam locis sanctorum patrum non obscure intelligitur. Postea cum Episcopi & Parochi veteres superstitiones non modo non correxerunt, sed potius bona, ut vocant, intentione auxerunt, tandem in immensum auctæ sunt.

S. IIX.

(3.) *Ad historias ab aliis scriptoribus idoneis allatas*

Porro probatur ex aliis scriptoribus idoneis, ut Alexandrò ab Alexandro, Baptistâ Fulgoso, Philippo Melanchthone, Johanne Manlio, Ludouico Vive, Hieronymo

ronymo Cardano, Olao Magno, spiritus interdum apparere (f) sed ut taceam, hic misceri quosdam subleſtæ fidei, (t) non poterit horum major esse autoritas, quam sanctorum patrum. Et vel sola narratio ex Melanthonne excerpta fabulam sensibilibiter olens, reliquorum scriptorum traditiones merito suspectas reddit. (u)

(f) Vide Lavaterum *parte I. cap. 15.*

(t) Nam v. g. Manlii loci communes, non sunt majoris fidei, quam vitæ patrum & promptuaria exemplorum, de quibus, quid ipse Lavaterus sentiat, jam excerptissimum lit. g. Cardanum vero, hominem meticulosum, melancholicum, & sæpè fatuum planè, ut ex ipsius vita ab ipso met descripta videri potest, quis inter historicos idoneos referat. De Olai Magni mendaciis hodie nemo dubitat.

(u) Nam Melanthon reliquis à Lavatero hic adductis omnibus, si non præferendus, certè nemini eorum postponendus est. Ita vero se habent, quæ ex Melanthonne excerptis Lavaterus. *In libro, quem Melanthon inscribit: Examen Theologicum, recitat historiam: se habuisse amitam, quæ, ubi mortuo marito assideret foco tribior, duo domum ejus ingressi sunt: quorum hic in mariti specie, se maritum esse mulieris defunctum dicebat: alter procerus, Franciscani monachi formam induerat. Hic maritus ad focum accedens, mæstam salutatur uxorem, eamque sine metu esse jubet, asseritque se venisse, ut quædam ei mandaret. Hinc longum monachum tantisper in hypocaustum secedere jubet, inde sermonem exorsus, sacrificulos tandem conducti, qui missas recitent, maximoperè orat, obsecrat, & obtestatur impensè, atque discessurus sibi dexteram porrigi jubet, perterrefaciæ autem, exhorrescentique cum se nihil damni daturum promitteret, dexteram illa dat, quæ, etiamsi non lederetur, tamen*

tamen usque adeò uri videbatur, ut semper manserit in
gra. Postea evocat Franciscanum, & simul egressi in
cunctanter evanescent. Jam mallet scire, quid Lavaterus
responsurus sit Pontificio, qui fabulam illam et
Petro Damiano supra recensitam lit. q. pro verà histo-
ria narraret & ad pietatem Damiani provocaret. Hanc
dubie allegaret quod fabula hæc inventa sit ad persuadendam
necessitatem horarum canonicarum. Cuiusmodi
non igitur etiam sensit, fabulam hanc ab amita Melan-
thonis inventam esse, ad persuadendam necessitatem
missarum pro animabus in purgatorio. Ergo amicus
Melanthonis hoc privilegio apud sagaciores non gratum
debit, ut quis hac in parte ipsi credat, etsi alias potest
rit esse foemina pia.

S. IX.

(4.) *Ad quo-
tidianam ex-
perientiam.*

Ulteriùs ad quotidianam experientiam provocat
Lavaterus, (x) quod scilicet spiritus opem petant, no-
ctu in extruendis novis ædificiis laborent, in fodinis da-
mones appareant &c. Sed uti contra leges bonæ dis-
putationis hic iterum vera supponuntur, de quibus
ita contigerint, in quæstione est, (y) ita oblitus est La-
vaterus eorum, quæ alibi de credulitate virorum pro-
borum ipse annotavit. (z)

(x) Lavaterus *part. I. c. 16.*

(y) Inprimis mirandum, quod Lavaterus ad illam quo-
tidianam experientiam referat illos casus p. 63. quod ad-
diti sint spiritus, qui interrogati: quinam essent? disci-
puli: se esse animas cruciatibus patientes, & si quis interro-
gaverit, quomodo ex illis cruciatibus liberari possent
responderunt, se certis missarum numero celebratis
peregrinationes ad divos instituantur, &c. postea multa

luce & gloria apparentes dixerint, se liberatas esse, suisque benefactoribus gratias egerint, promiserintque, se quoque apud Deum & divinam Virginem pro illis intercessuras esse.

(2) Hodie quoque, inquit *part. 2. cap. 12. p. 149.* multi sunt pii & honesti viri, qui hoc vitio laborant, quod nimis cito credunt, seque aliis ridendos præbent. Ex se alios metiuntur. Puderet eos aliquid falsi asserere. Ita putant, alios quoque affectos, qui eorum simplicitate & bonitate abutuntur.

S. X.

Denique quod textus Sacrae Scripturae attinet, de discipulis perterritis, Salvatorem pro spectro habentibus (5.) Ad testimonium Sacrae Scripturae Matth. 14. Lucae 24. de spectro sub Samuelis umbra apparente, lib. 2. Samuelis, de manu in convivio Regis Balthazaris apparente, Dan. 5. &c. (a) haud dubie dissentientes urgebunt, per metum discipulorum non probari spectra (b), & de Saule umbram Samuelis provocare cupiente, incertum esse, an & quid Sauli apparuerit. (c)

(a) Nam reliqua exempla à Lavatero *part. 1. cap. 18.* adducta tanquam adhuc magis dubia, afferre non aui, scilicet ex 2. Sam. 5. & 1. Paralip. 14. de strepitu in cacuminibus arborum excitato. Ubi addit Lavaterus. *Volunt hunc sonitum portentosum fuisse.* Item 1. Sam. 7. de voce magna super Philistæis auenta, 2. Reg. 6. & 7. de Syris strepitum curruum, hinnitum equorum & fremitum ingentis exercitus audientibus. Nam hæc omnia etiam alio modo miraculose fieri potuerunt, quam per spectra. Item de spectris, quorum mentio fit 2. Machab. 3. 10. & 11. Nam ipse Lavaterus fatetur, hunc librum non esse Canonicum. Et parum persuadebit dissentientes ratio Lavateri, cur ea exempla tamen adduxerit;

xerit; quia videlicet hi libri conjuncti sunt libris Canonis & à quovis legi possint.

(b) Ipse Lavaterus *part. I. c. 3. p. 14.* exemplum hoc de discipulis refert in capite, ubi tractat, quod meticulosi homines fingant se spectra videre & audire, & subjungit p. 15. *Hoc loco vides pavore factum esse, ut discipuli Dominum ipsum spectrum esse putaverint. Mirari itaque nemo debet, si nos quoque metu impediti unum pro altero habeamus, nobisque persuadeamus quod spiritus viderimus, ubi nulli fuerint.*

(c) Nihil quidem hic definimus, sed rem Dominis Theologis tractandam relinquimus. Interim certum est, Syracidem putasse, quod ipse Samuel apparuerit Sauli; alios vero putare Saulem nihil vidisse, sed potius mulierem decepisse Saulem fingendo apparitionem, & ex ventre locutam fuisse. Et cum adeo hæc quæstio de expositione illius loci non pertineat ad articulos fidei, neque in Augustana Confessione aut etiam in formula Concordiæ aliquid de eâ sit definitum, licebit saltem salvâ orthodoxiâ, unam ex his sententiis quæ verosimilior videtur, amplecti.

§. XI.

Afferitur, dari spectra, sed eorum exempla esse rarissima.

Quid ergo dicemus? An negabimus existentiam spectrorum? Absit. Credimus utique dari spectra partim, quod ad exemplum ex Daniele nihil sit quod reperi possit, (d) partim etiam, quod non desint experimenta aliorum, de quibus nulla est suspicio fraudis aut falsæ imaginationis. (e) Interim credimus, ex mille, quæ referuntur exemplis, paucissima vera esse. (f)

(d) Nam liber Danielis est Canonicus, & apparitio illa pluribus visa fuit.

(e) Ita Dn. Præses mihi retulit, se à viro integræ fidei, minime meticuloso, audivisse, quod triduo ante ortum incendium

endum ipse viderit in hypocausto, manum humanam in loco, ubi nullus homo subsistere poterat, ter pulsasse ab extra fenestram illius hypocausti. Ergo hic nostra facimus verba Beati Pufendorffii in *Epist. ad amicos* p. 125. *Eridis Scandicæ: Sic non credam ego diabolum dari (ex imputatione Becmanni) qui ejusdem satellitem tantâ rabie in me seviré sentio? Nam quæ Beckmannus in me patravit, humanam malitiam longè excedunt. Sed quod spectra peculiarem articulum fidei constituentem me trahat, sic respondebo: Me nunquam spectrum vidisse, nec ut videam, cupere. Ab imperitiis hominibus multa nocturno metu & errore caliginis, aut illusionibus aliorum fingi, putare. Omnibus promiscuè fidem detrabere temerarium censerè.*

(f) Propter rationes hæc in thesibus præcedentibus adductas.

S. XII.

Cum vero spectra sint varii generis & in variis locis compareant, (g) confessio hæc de existentia spectrorum nondum sufficit ad dissertationem præsentem.

(h) Ea enim non obstante credimus, omnes illas narrationes de spectris ædes infestantibus, (i) non esse animales, sed astutè vel à Sacerdotibus gentilibus, (k) vel à Clero Pontificio, (l) vel a Furibus (m) & Scortatoribus (n) excogitatas fabulas.

(g) Lavaterus *Par. I. cap. 19. p. 25. Etsi vero omnibus in locis hæc (spectra) audiantur, præcipuè tamen in campis illis, in quibus prælia commissa, vel in locis ubi supplicia de fontibus sumuntur: in sylvis, in quas olim adjurarunt demones expulsas ex hominibus: in templis, monasteriis, circa sepulcra & limites regionum atque*

*agrorum: in carceribus, domibus, arcibus, aliquando in
ruinis & ruderibus arcium.*

(h) Nam à genere ad speciem non valet illatio affirmati-
va, aut ab una specie ad aliam. Datur leo, datur draco,
datur capra, sed tamen propterea non datur chimæra.

(i) Dico ædes infestantibus, non in ædibus apparenti-
bus. Nam de prioribus hic est quæstio, non de poste-
rioribus. Scilicet non datur haud dubiè actio ad re-
scindendam locationem conductionem, si spectrum sal-
tem rarissimè appareat & nemini noceat in ædibus. Sed
qui metum spectrorum putant esse causam rescindendi
conductionem, loquuntur de spectris vel nocentibus &
damnum dantibus, vel certe inhabitantes ita frequen-
ter & graviter terrentibus, ut inhabitari tuto non pos-
sint. Ergo non negamus, spiritus apparere in ædibus.
Neque adedò huc spectat aut nobis opponi potest ma-
nus illa apud Danielem. Neque negamus aut non cre-
dimus ea, quæ subinde de spectris narrantur apparenti-
bus in castris aut ædibus principum, quoties princeps
aliquis moriturus est, sed iudicium aut fidem nostram
hic saltem suspendimus.

(k) Ni fallor antiquissima narratio de tali spectro est illa
quæ legitur ap. Plinium secundum l. 7. *Epist. 27. ad Su-
gram. Erat Athenis spatiosa & capax domus, sed infam-
is & pestilens. Per silentium noctis sonus ferri, & se
attenderes acrius, strepitus vinculorum longius primo,
deinde è proximo reddebatur. Mox apparebat idolon,
senex macie & squalore confectus, promissâ barbâ
horrenti capillo, cruribus compedes, manibus catenas
gerebat quatibatque. Inde inhabitantibus tristes diræ-
que noctes, per metum, vigilabantur: vigiliam morbus,
& crescente formidine, mors sequebatur. Nam inter-
diu quoque, quanquam abscesserat imago, memoria ima-
ginis oculis inerrabat, longiorque causis timoris timor
erat.*

erat. *Deserta inde & damnata solitudine domus, totaque illi monstro relicta: proscribatur tamen seu quis exere, seu quis conducere, ignarus tanti mali, vellet. Venit Athenas Philosophus Athenodorus, legit titulum, auditoque pretio, quia suspecta vilitas, percunctatus, omnia docetur, ac nihilominus, imò tanto magis conducit. Ubi cœpit advesperascere, jubet sterni sibi in prima domus parte, poscit pugillares, stilum, lumen. Suos omnes in interiora dimittit. Ipse adscribendum animam, oculos, manum intendit, ne vacua mens audita simulacra & inanes sibi metus fingeret. Initio, quale ubique, silentium noctis, deinde concuti ferrum, vincula moveri. Ille non tollere oculos, non remittere stilum, sed obfirmare animum, auribusque prætere, tum crebescere fragor, adventare etiam, ac jam, ut in limine, jam ut intra limen audiri. Respicit, videt, agnoscitque narratam sibi effigiem. Stabat, innuebatque digito, similis vocanti. Hic contra, ut paululum expectaret, manu significat, rursusque ceris & stilo incumbit. Ula scriptionis capiti cærenis insonabat. Respicit rursus idem quod prius inuenientem: nec moratus tollit lumen, & sequitur. Ibat illa lento gradu, quasi gravis vinculis. Postquam deflexit in aream domus, repenti dilapsa deserit comitem. Desertus herbas & folia concepta signum loco ponit. Postero die adit magistratus, monet ut illum locum effodi jubeant. Inveniunt ossa inserta catenis & implicita, quæ corpus ævo terraque putrefactum, nuda & exesa reliquerat vinculis. Collecta publicè sepeliuntur. Domus postea ritè conditis manibus caruit. (i. e. phasmatibus) Volui locum totum describere, quia sæpius ad eum infra provocabimus. Excerptit etiam totum, etiam cum iis, quæ antecedunt & sequuntur, Lavaterus Parte I. cap. 12. p. 54. seqq. Catanæus in notis ad Plinii dictum locum provocat ad Luciani *Philopseudem*, ubi eandem*

rem sed sub aliis circumstantiis narrari asserit. Ergo describamus & hunc Luciani locum ex Tomo II. p. 750. seq. secundum versionem Thomæ Mori. *Atqui inquit ille (Arignotus Philosophus Pythagoreus) si quando Corinthum veneris, roga, ubi sit Eubatide domus. Inquam ubi tibi fuerit indicata, nempe circa Craneum, in eam ingressus, dic janitori Tibio, velle te videre unde demonem Pythagoricus Arignotus, quem adduxisset, abegerit, ac deinceps habitabilem domum reddiderit. Quidnam hoc erat Arignote? rogabat Eucrates. Inhabitabilis erat, inquit ille diu propter terricula, quodsi quis inhabitasset, expavesactus illic fugiebat, exactus à quodam horrendo ac terribili spectro. Deciderat ergo jam, tetumque rumpebatur, neque quisquam erat omnino qui eam ingredi fuerit ausus. Ego vero ubi hæc audivi libellos samens, (sunt autem Egyptii mihi de talibus rebus admodum multi) veni in domum circa primam vigiliam, debortante hospite ac ferme detinente, postquam didicerat, quo iturus essem, in certum, ut putabat, exitum. At ego summa lucernâ solus ingredior, atque in vastissimo arrio collocato lumine, humi sedens tacitè legebam. Adest vero demon ille, cum quopiam è vulgo se congressurum ratus, ac me quoque, quemadmodum alios, perterriturum, squalidus, hirsutus, ac tenebris nigrior. Atque hic cum adstaret, undique me assultim petens, tentavit, si qua possit expugnare, ac modo in canem, modo in saurum, modo in leonem vertebatur. At ego correpto in manum quam maxime horrendo carmine, simulque vocem imitatus Egyptianam & incantans eam, in domicilii tenebrosi angulum quendam compuli. At quem animadvertissem, ubi se in terram condidit, tum destitit.*

Mane

Manè autem desperantibus universis, ac me, quemadmodum alios, mortuum sese reperturos putantibus, præter omnium spem progrediens, Eubatidem adeo, feliciter ei annuncians, quod puram sibi ac à spectris liberam domum jam liceret incolere. Atque illum assumens aliosque multos, quum ad locum duxissem, ubi condentem se demona conspexeram, iussit ut sumitis lignonibus spatulisque suffoderent. Atque ubi id fecerant, inventum est, ferè ad passum defossam cadaver quoddam marcidum, ossibus tantum humanam specie coherentibus. Illud igitur effossum sepelivimus, domus vero postea turbari prodigiis desit. Fabulam esse id quod Lucianus hic recenset, ex ipso Luciano patet. Cujus etsi non sit magna autoritas apud eos, quorum mentes spectris sunt occupatæ, hodiernis tamen temporibus apud cautiore non est tantum viri odium, postquam summè reverendus Augustanorum Antistes Treunerus in dissertatione Jenæ habita, de Luciani Theologiâ, eum ab Atheismi calumniâ liberavit. Sed nolo ejus autoritate hic uti, cuius alias totus ille dialogus eò spectat, ut doceat, etiam philosophorum suorum temporum turpissima mendacia, ad vanam gloriam comparandam, impofuisse incautis. Ipsæ circumstantiæ satis hinc inde docent, purum putum mendacium esse, quicquid Arignotus ibi narrat. Unde prudentius fecit Plinius, (si, ut Catanæus putat, verum est, quod Plinii & Luciani narratio sit eadem) quod circumstantiis illas mendaces omiserit, & modestioribus circumstantiis factum narraverit, propius ad aliquam verosimilitudinem accedens. Interim & illud Plinius ab aliis audivit, & pro sua in narrantes propensione credidit. Sic enim ipse d. *epist.* 27. *lib.* 7. antequam historiolum illam narraret, jam illud, inquit, nonne & magis terribile non minus mirum est? quod exponam, ut accepi. Et post finem narrationis.

tionis. *Et hæc quidem affirmantibus credo.* Quod quis repetat ea, quæ jam supra ad §. 4. lit. l. notavimus ex Lavatero, quod interesse sacerdotum Ethnicorum fuerit, ut iusta funebria haberentur defunctis, quilibet facile subodorari potest, quem in finem fuerint illa, quæ modo ex Plinio & Luciano excerptimus, effecta. Fortè etiam ipsi Philosophi talia finxerunt ad persuadendas doctrinas quasdam, ex rectâ ratione vix demonstrabiles. Notum est, Platonem tria iustitiæ genera statuisse, primum circa Deos, secundum erga homines, tertium circa defunctos, scilicet honestam sepulturam. Unde natum commune præceptum juris Gentium de sepeliendis mortuis. Vid. Dn. Præf. *Instit. Jurispr. div. lib. 3. c. 10.* Et Pythagoreos etiam ab ista doctrinâ non fuisse alienos, conjectari licet ex ipsâ Luciani narratione quam Philosopho Pythagoreo tribuit.

(c) Scilicet illæ narrationes, ubi spectra apparuisse dicuntur in ædibus, urgentia, ut missæ pro his habeantur, ut edocuius ex purgatorio liberentur. Quorsum pertinet ex supra recensitis illa fabula amica Philippi Melanthonis. Pulcher est locus Gilberti Cognati, viri docti & amantissimi olim Erasmi Roterodami, in annot. ad cit. dial. *Luciani p. 584.* Cujus verbis adeo malo quam mentem meam exprimere *Fructum, inquit, nobis offert iste dialogus (Luciani) ut neque magicis habeamus prestigiis fidem, & superstitione careamus, quæ passim sub specie religionis obrepit; cum vitam ut agamus, minus anxiam; minus videlicet exvalescentes tristitiaquepiam ac superstitione mendacia; quæ plerumque tanto cum fide atque autoritate narrantur, ut Augustino, viro gravissimo, hostique mendaciorum acerrimo, nescio quisnam veterator persuaserit, ut fabulam istam de duobus Spiritibus, altero in vitam redeunte, altero decedente, tanquam rem suo ipsius tempore gestam pro verâ narraret.*

raret, quam Lucianus in hoc dialogo mutatis tantum nominibus, tot annis, antequam Augustinus nasceretur, irrisit. Quo minus mireris, si pinguioris vulgi mentes suis figmentis afficiant ii, qui se tum demum rem magnam confecisse putant, Christumque sibi devinxisse perpetuo, si commenti fuerint aut de sancto aliquo viro fabulam, aut de inferis tragoediam, ad quam vetula quepiam aut delira lacrymetur, aut pavida inborrescat. Itaque nullam fere martyris, nullam virginis vitam prætermiserunt, in quam non aliquid huiusmodi mendaciorum inferuerint; piè scilicet, alioquin enim periculum erat, ne veritas non posset sibi ipsa sufficere, nisi fulciretur mendaciis. Nec veriti sunt, eam religionem contaminare figmentis, quam ipsa veritas instituit, & in nuda voluit veritate consistere. Nec viderunt usque adeo nihil istiusmodi fabulas conducere, ut nihil perniciosius officiat. Nempe ubi admixtum subolet mendacium, veritas illicò minuitur, ac labefactatur autoritas. Unde sæpè mihi suspicio suboritur, magnam huiusmodi fabularum partem à vafriis ac pessimis nebulonibus confictam, quibus studium fuit, partim ex incautâ simplicium potius; quàm prudentium credulitate voluptatem capere, partim fabularum fictarum commercio fidem veris Christianorum historiis adimere, quippe qui frequenter quædam his quæ in Sacrà Scripturâ continentur, tam vicina confingunt, ut facile se declarent, adludendo lusisse. Quamobrem quas scriptura nobis historias divinitus inspirata commendat, eis indubitata fides habenda est, ceteras vero ad Christi doctrinam tanquam ad Critolai regulam applicantes cautè & cum iudicio aut recipiamus aut respuamus, si carere volumus & inani fiducia & superstitionis formidine. Illustrabit etiam hic Gilberti Cognati locus ea quæ jam supra ad S. 7. lit. r. de autoritate S. Augustini in questione de spectrorum

D

errorum existentia differui, idque credo non ingratum futurum iis, apud quos alias Augustini autoritas ferè scripturæ autoritati æquipollet.

- (m) Lavaterus *Part. I. cap. 7. p. 21.* *Fures sub hoc prætextu sepè nocturno tempore alios expilarunt, qui, cum putarint, se audire spectra, fures illos non abegerunt.*
- (n) Idem *Ibidem.* *Adhæc omnes norunt, scorta & scortatores sub hoc prætextu interdum longo tempore rebus Veneris operam dedisse, & domesticis persuasisse, lemures in domo vagari, ne ipsi in facinore deprehendi possent, sed optatis amoribus fruarentur. Non semel tamen tales spiritus à magistratibus comprehensi, & publica infamia affecti sunt.*

§. XIII.

Sed supponitur tamen in gratiam dissentientium & illa, sub limitatione raritatis.

Cæterum, ne incredulitas nostra faciat præjudicium vel veritati, vel etiam credulitati aliorum, etiam spectra ædes infestantia dari firmiter sibi persuadentium, ac justum ob metum talium spectrorum esse rescissionem contractus conductionis asserentium. Age in eorum gratiam supponamus, dari etiam ejusmodi spectra. Sufficiet enim & hic nobis, quod dissentientes, si pari æquitate nobiscum agere velint, minimum sint concessuri, quod saltem plurimæ narrationes de talibus spectris fabulæ sint. (o)

- (o) Quodsi quis eò impudentiæ procedere velit, ut omnes veterarum & nugatorum fabulas de spectris domesticis, pro veris aut verosimilibus habendas esse audeat, is nosse debet, quod cum eo nullum sit nobis negotium, scribimus enim in gratiam orbis sanâ ratione utentis, non eorum, qui solo præjudicio autoritatis ducuntur,

§. XIV.

§. XIV.

Jam videamus, an metus ejusmodi spectrorum in *Metus spectrorum non cadit in virum constantem.* constantem cadat? Negamus. Nam fortes & animosi viri non torquentur à spectris, sed meticulosi, & foeminae, pueri &c. (p)

- (p) Loquatur iterum pro me Lavaterus *part. 1. c. 3. p. 15.* Qui forti & excelsò animo sunt, ab omni metu vacui raro vident spectra. De Scybis, gente montana & bellicosa traditur, quod eis nulla spectra appareant. Leones memorant, larvis non terreri: sunt enim animosi & impavidi. Plutarchus in vita Dionis, à pueris, mulieribus, aegrotis, deliris, & meticulosis hominibus spectrà videri, jam suo tempore testatus est. Idem Lavaterus *part. 3. cap. 5. p. 184.* optimum remedium adversus spectra esse docet, ut fortes simus, impavidi & constantes in verà fide.

XV.

Quæ ratio uti valet in toto humano genere, cui-
cunque religioni quis sit addictus, ita omnium maxime
attendenda est inter eos, qui non solum Christianæ sed
insuper Evangelicæ religioni addicti sunt, (q) ut qui-
bus ob evidentes rationes rarissimè apparent spectra
& larvæ (r).

- (q) Lavaterus *part. 1. cap. 19. p. 83.* Qui constantes sunt in verà fide, rarius hæc vident vel audiunt, quàm superstitiosi, ut in aliis quoque rebus.

- (r) Tractat eà de re Lavaterus *part. 3. integr. cap. 2.* cujus rubrica est: *Quenam sit causa, quod nostris temporibus pauci spiritus conspiciantur vel audiantur.* Ubi *p. 178.* hæc habet: *Sunt aliæ quoque cause, ob quas rariora sint hæc. Si quis te semel, iterum, tertio fallat, dein-*

deinceps aperis oculos, vides quid agat, quid moliatur. Ita cum sepius decepti sumus ementitis visionibus, non facile credimus, si nobis dicatur, aliquam animam vel spiritum apparuisse. Adhuc cum pauci nunc sibi meruant à spectris, facile inveniuntur, qui querere ea vellet, videre, imò conrectare. Hoc scitur. Igitur nemo facile personam induit, aut aliàs animam esse mentitur. Pueris facile persuadetur, adesse virum atrum, proceram feminam, quæ in saccum plorantes condat. Sed postquam adoleverint, non amplius larvis & hujuscemodi sermonibus terrentur. Ridebunt tuam stultitiam, si deinceps sic terrere eos insituas. Ita cum pueri essemus in scripturis, hoc est, sensum earum non assequeremur, potuerunt nobis multa persuaderi. Nunc cum illas in omnibus linguis legimus, in illis quotidie proficimus, non patimur nobis ita illudi, nec curvis apparitioni credimus. Quot spectra pepulit Bernensium Monachorum detecta malitia? Terriculamenta in hortis & agris eriguntur ad pellendas aves, quæ etiam tandem nugas esse sentiunt, nec amplius ejuscemodi ludibriis abiguntur. Quid igitur mirum, si post maximam pietatis & veritatis iusturam homines, quantumvis simplices, tandem oculos aperiant.

XVI.

Ergo nec ob
talem metum
rescindi potest
conductio a-
dium.

Ex dictis jam facile definitur quæstio, an conductor ædium possit recedere à conductione, non soluta mercede de qua convenit, prætendens metum spectrorum? Scilicet neganda est quæstio, quia metus hic est omnino vanus, per hæcenus dicta (1).

(1) Vani autem timoris iusta excusatio non est l. 184. de R. l. Propius ad rem facit l. 27. §. ult. ff. locati. Interrogatus est, si quis timoris causa emigrasset, deberet mercedem

cedem nec ne? Respondit, si causa fuisset, cur periculum timeret, quamvis periculum verè non fuisset, tamen non debere mercedem. Sed si causa timoris justa non fuisset, nihilominus debere. At vero vir constans & prudens, ut Horatius ait, lib. 2. Epist. 2. in fine, Nocturnos Lemures, portentaque Thessala ridet.

§. XVII.

Quid si fœmina sit conductrix, annon huic saltem Eriam si fœmina ædes conduce rit. licebit rescindere locationem metu spectrorum? Sane incivile esset, à fœmina postulare metum qui cadat in virum constantem. At sufficit, quod hic metus spectrorum sit plane vanus & qui ne quidem in fœminam constantem cadat. Ergo nec fœminæ metus locatori nocebit, sed & ipsa, si manere nolit, mercedem solvere debet locatori, t)

(c) Fatemur equidem, non posse certâ regulâ comprehendere, quis justus dicatur metus, nec ex verbis legum eum accurate determinari, sed potius prudentis judicis disquisitioni id permittendum esse, qui ex circumstantiis personæ, loci &c. id æstimet. (Sic metum infamiæ aliquando justum esse non obstante *l. 7. pr. quod met. caus. ostendit Dn. Præses dissert. de existimatione, famâ & infamiâ § 8*) Fatemur cum Glosâ in *cap. cum locum 14. X. de sponsal.* minorem metum sufficere in muliere quàm in viro. Et licet Honorius III. in *cap. consultationi tue 28. X. eod.* loquens de muliere, requirat metum qui cadat in virum constantem, fatemur tamen, ea verba magis proverbii loco pro metu non vano accipi debere, quam ut verbis ipsis inhareamus. Wissenb. ad *l. 148. de R. I.* Interim sufficit, quod probaverimus hætenus, vanum omnino esse metum spectrorum ædes infestantium.

D 3

§. XIX.

§. XIIX.

Respondetur
ad dissenti-
entiam autori-
tates.

Sed fortè tamen non est vanus, ille metus. Videamus. Ostenderunt id Jcti celebres. At quinam? Pontificii. u) At hi superstitione seducti scripserunt. Imo & Evangelici. x) At hi nimia credulitate peccarunt, & rationibus justis delituti sunt. Atque ne hoc gratis dixisse videamur, demus causã advocatam. Et quem alium, quam Dionysium Gothofredum, y) cujus auctoritatem penè secuti sunt reliqui Jcti protestantes.

u) Citat Wissenb. *Exerc. 37. ad Pand. th. 12. Covarruviam*

4. par. c. 6. Mornacium in l. 27. §. 1. de locat. Gomezium

2. resol. 3. n. 3. Tuldenum in tit. C. de locat. n. 12.

x) Dionys. Gothofr. ad d. l. 27. §. 1. Wissenbach. l. c. Huber. in prælect. ad instit. alique innumeri.

y) Ita vero Gothofredus. Memini me adolescente Ludovicum Sanctonium, disertissimum in foro Parisiensi advocatum, curatorem & cognatum meum, clienti cuidam suo remissionem pensionis impetrasse, conquerenti, se propter spectra, idola, seu phantasmata, domui conductæ infesta frui non posse. Movebar, quod cum conductio emioni similis esset, conductio statim in conductorem periculum rei locatæ transferre videretur. Ille hanc hypothesein emioni fructuum futurorum comparabat, quasi nulli extitissent, constabat, nullam venditionem esse igitur nullam hic conductionem esse, quod ejusmodi spectra habitationem impedirent. Dicebam, conductorem eo casu non ferendum, qui sibi sponte metum accerferet, cum constaret ex Plinio epist. 7. cap. 27. Athenodorum Philosophum Athenis minimè eas res expavisse. Metum autem eum non esse considerandum, qui in constantem virum non possit cadere. Ille non exemplis, sed legibus judicandum esse. Quin etiam illum vicum Athenodorum proferri, non unum aut alterum. Ros

ros reperiri, qui non talibus spectris occurrentibus expaveſcant. Hinc liquere, metum hunc non minus verum eſſe, quod unicuique Athenodorus in hoc caſu talia ſpectra non reformidaverit. Nec enim, quæ ſemel, vel iterum eveniunt, à legiſlatore conſiderari. Adhæc dicebat, argumentum ſeciſſe iudicibus, quod huiusmodi ſpectris domus non modo, ſed & regiones integræ deſertæ fuerint reditæ. Utebatur autem teſtibus omni exceptione maioribus: ſcripturâ divina ſcilicet, Matth. 9. Marc. 5. Luc. 8. Locum ex Plinio juniore citabat l. 27. epiſt. 7. Proſerebat pariter hiſtoriam umbræ Samuelis, jufſu Saulis evocate, & Auguſtini locum inſignem in libro de curâ pro mortuis agendâ. Quod eo lubentius adſcripſit, vel ex hoc loco benè merenti cognato, quondam curatori gratiam non immemoris animi qualem qualem referrem, quem ſumma & exacta juris noſtri cognitio, ut & mores placidi & integerrimi ad majores poſt honores, non in patriâ tantum Lutetiæ, ſed abud ipſum patriæ patriem, hoc eſt Regem, commendatiſſimum provexerunt. His adde, quæ ad hanc quæſtionem: An remiſſio penſionis vel emigratio peti poſſit ob peſtem, larvas & ſtrigas ſcribit Arnoldus Ferronius, Chriſtophorus Poreus, Guido Pape. Vide etiam Gregorium, Lucianum, Alexandrum ab Alexandro, Pausaniam, Elianum, Leonicum, &c. Auctorem mallei maleficarum &c. Loca Auctorum modo nominatorum vide apud ipſum Gothofredum.

XIX.

Ubi initio patet, Gothofredum hic ex nimio aſſectu in curatorem ſuum, perſuaſum eſſe de juſtitiæ ſententiæ pro conductore lata, quemadmodum ſupra (Z) curatoris Gothofredi, jam oſtendimus, Philippum Melanthonem ex nimio amore erga amitam ſuam, credidiſſe veritatem apparitionis

nis ab ipsa narrata, quam tamen fabulosam esse omnes lineæ docent. (a)

(z) *Supra* §. 8. *lit. u*

(a) Fuit iste cognatus Gothofredi JCtus eximius, & integerrimus, ac Regi commendatissimus. Interim tamen nulla consequentia: ergo sententia illa pro conductore prolata fuit principiis juris conformis. Adde quod testimonium Advocati de iustitiâ causæ, quam in iudicio defendit, sit meritò suspectum.

XX.

Item ad argumentum de comparatione locationis cum emtione.

Deinde, uti objectio Gothofredi quâ impugnavit dictam sententiam, de periculo rei locatæ ad conductorem pertinente, principiis juris adversatur, (b) & etiam ipsam debite emendes, (c) tamen ad decisionem quæstionis præsentis parum vel nihil facit. (d) Ita etiam responsione fructuum futurorum comparanda, similiter & falsa (e) & ad præsens negotium parum apta est. (f)

(b) Nam conductor, ut vel ex principiis primis juris notum est, culpam saltem præstat, nequaquam periculum rei locatæ in se suscipit.

(c) Nam videtur Gothofredus id voluisse dicere, quod in conductione periculum fructuum pertineat ad conductorem, & ex festinatione pro *fructibus* posuisse rem locatam.

(d) Nam tota hæc quæstio, quanta quanta est, dependet à præjudiciali quæstione, an metus spectrorum sit iustus nec ne.

(e) Nam initio falsum est locationem ædium esse similem venditioni fructuum futurorum, & eâdem fiducia hæc propositio negatur, quâ à cognato Gothofredi facta asserta

asserta. Deinde falsum est, quod fructibus futuris venditis, venditio nulla sit, si nulli fructus nascantur, etsi hic error communis sit, & occasionem dederit distinctioni inter venditionem spei & rei speratæ. Non enim video cur non idem jus obtinere debeat in venditione fructuum futurorum, quod obtinet in venditione captus piscium, si modo idem utrobique æctum fuerit. Sed occasionem errandi sumserunt Dd. quod casus varios in legibus Romanis de fructibus futuris agentes v. gr. l. 8. pr. l. 39. §. 1. l. 73. in fine ff. de contr. emt. l. 1. in fine de Cond. & demonstr. l. interdum 73. de V. O. parum aptè miscuerint, & non rectè explicaverint. Conf. Schilt. Exerc. 30. §. 29. Sed hæc quidem prolixius exponere instituti ratio non patitur.

(f) Obrationem modo *lit. d.* indicatam.

XXI.

Equidem Gothofredus, dum cognato suo opposuit, metum spectrorum non cadere in virum constantem, rectè id fecit, (g) sed melius fecisset, si ad alia exempla provocasset, quam ad exemplum Athenodori philosophi. (h) Quæ vero Advocatus contra respondet, variis modis impingunt, partim torquendo quædam brocardica ex legibus, (i) partim talia in contradictione afferendo, quæ vel apertè falsa sunt, (l) vel miscent metum verum cum metu justo. (m)

*Et ad rationes utrobique pro-
prolatas circa
questionem,
an metus hic
spectrorum
cadat in vi-
rum constan-
tem.*

(g) Per supra dicta §. 16. & 17.

(h) Nam ita occasionem dedit adversario, ex eadem narratione Plinii de Athenodoro statim provocandi ad existentiam spectrorum ædes infestantium, quam tamen suprâ cum ratione negavit §. 12. Deinde dedit occasionem adversario, ut urgere potuisset, quamvis id

E

haud

haud fecerit, à Philosopho ad quemlibet virum constantem non posse argumentum duci. Debere quidem omnem Philosophum esse virum constantem, sed non omnem virum constantem esse philosophum, sed Philosophiam excelsius quid docere, quod in alios homines etiam alias constantes non cadat. Et annon alia exempla virorum constantium non philosophorum habebat Gothofredus, quæ Advocato illi opponeret. Sed excusamus ejus adolescentiam tum temporis experientia destitutam.

(i) Initio: *non exemplis judicandum sed legibus.* Si ullo in negotio, certè in præsentem, hoc brocardicum male applicatum est. Valet illud, quando quæritur de moralitate actionum & imprimis de justitia & injustitia. Haudquaquam vero, ubi agitur de examinando metu virili & puerili. Hic utique exemplis opus est, & arbitrio judicis, non legibus, per dicta superius §. 17. *lit. r.* Et ipse Advocatus postea ad exempla provocat aliorum spectrameruentium. Deinde quam inconvenienter istud adducitur: *Quod semel aut bis fit, de eo non sunt leges.* Sane hic non agitur de prudentiâ legislatoriâ, sed de applicatione legum ad facta singularia. At hæc talibus circumstantiis possunt esse prædita, ut inter rarissimos casus referri mereantur. An propterea dicemus cessare JCI officium aut judicis, quod casus sit rarissimus? Imo, si brocardicum illud ad rem præsentem spectaret, possemus potius invertere, non succurrendum esse condكتورi, ob metum spectrorum remissionem pensionis petenti, quia videlicet hi casus raro contingunt, per dicta §. 12. 13.

(1) Etsi enim rectè opposuerit adolescenti Gothofredo, quod unicum proferatur (ab ipso scilicet) exemplum Athenodori, non unum & alterum, quem navum in Gothofredo jam notavimus *lit. h.* id tamen falsum est, quod

quod addit: *Raros reperiri, qui non apparentibus talibus spectris expavescant.* Fuere enim omnibus temporibus & apud Ethnicos & apud Christianos, etiam apud Pontificios, & adhuc hodiernum sunt, non pauci, qui istas nugas spectrorum ædes infestantium rident, & fortitudine animi sui larvas istas deceptrices abigunt. Et si non sit diffidendum, meticulosos fortè plures esse, ac semper fuisse. Sed uti multitudo errantium non parit errori patrocinium, ita nec multitudo metuentium potest parere metui demonstrationem constantiæ virilis, &c.

(m) Quid enim hoc est, quod ait, *hinc liquere, metum hunc non minus verum esse, quod unicus Athenodorus talia spectra non reformidaverit.* Utiq; metus quicumque vanus, verus metus est, & sæpè fortissimus ac constans, ut ex effectibus patet. At non in quæstione erat, an metus talis sit verus an fictus, sed an in virum fortem & constantem cadens. Vigilantibus jura sunt scripta, non negligentibus, etsi negligentes verè vigilent. Ita metuentibus succurrunt leges, non quibusvis, etsi verè metuentibus, sed qui justâ ex causâ metuunt. *Metum, non vani hominis, inquit Gaius l. 6. quod metus causa, sed qui merito & in hominem constantissimum cadit, ad hoc edictum pertinere dicemus.* Scilicet causa justâ metuendi hic examinanda est, in tantum, ut ne quidem ad veritatem aut falsitatem periculi, quod metuitur, respiciatur. *d. l. 27, §. 1. locati*, id est, etsi periculum, quod metuitur fortè extiterit, modo justâ causâ metuendi subfuerit.

XXII.

Denique nihil probat provocatio Advocati ad existentiam spectrorum, quanquam nec hæc ratione ab ipso fuerit probata, omnium minimè

E 2

Denique ad argumentum ab existentia spectrorum verò desumptum.

vero existentia spectrorum ædes infestantium, (o) quam ejus probatio aliquo modo à Gothofredo fuisse admittenda: (p)

(n) Respicio ad illa verba: *Ad hæc dicebat, argumentum fecisse judicibus, quod hujusmodi spectris domus non modo, sed & regiones integræ deserte fuerint reddita.* Hic varia monenda. Primo: Etsi probatum esset ab ipso dari spectra, propterea tamen non probatum esset, dari spectra ædes infestantia, per dicta §. 11. & 12. Deinde etsi probaretur dari etiam spectra, quæ integras regiones desertas fecerint, propterea tamen non probasset, ergo dantur etiam spectra ædes infestantia, quia non solum à positione generis ad positionem certæ speciei non licet argumentari, sed etiam non valet consequentia ab existentia speciei unius, ad existentiam speciei alterius, ut vel pueris in schola notum est. Tertio, etiam si de utriusque speciei existentia constaret, non tamen de existentia frequentia, non desineret metus esse vanus & in virum constantem non cadens, per dicta §. 13. 14. 15.

(o) Quid ex allatis textibus Scripturæ Sacræ voluerit probare Gothofredi cognatus, vix divinando assequi possumus. Sane loca Matthæi, Marci, & Lucæ ab ipso adducta nequaquam de spectris loquuntur, sed de hominibus demoniacis. Et quæcunque etiam explicationem Theologorum de umbra Samuelis à Saule provocata sequaris, nunquam tamen inde probabitur, quod ea pro spectro vel ædes, vel regiones integras desertas reddente haberi debeat. Augustini liber, de curâ pro mortuis, quamvis jam non sit ad manus; quicquid tamen ille dicat, doctrinæ nostræ id parum obstabit, per ea, quæ jam de Augustini imbecillitate notavimus supra ad §. 7. *lit. r. & ad §. 12. lit. l.*

(p) Scilicet illa probatio de spectro ædes infestante ex Plinio:

nio. Valebat enim probatio illa existentiae spectri aedes desertas reddentis adversus Gothofredum, ut jam notavimus ad §. *praeced. lit. h.* Non valet adversus nos propter dicta superius §. 12. *lit. k.*

XXIII.

Non vero opus est, ut in autoribus ab ipso Gothofredo ulterius adductis (q) nos detineamus, cum partim ex superius dictis pateat, quid hic respondendum sit, (r) partim etiam locus ex Alexandro ab Alexandro ad quem provocavit, (s) magis fabulam recenseat, quam ut nostrae sententiae opponi possit (t).

Cur ad autoritates reliquas à Gothofredo adductas non respondemus. Fabula ex Alex. ab Alex.

(q) Vide §. 18. *lit. y. in fine.*

(r) Vide §. 6. *seq. ibique dicta.*

(s) Extat ille in *diebus Genialibus Alex. ab Alex. lib. 5. c. 23.* Nota & vulgaris res est, aedes quasdam Romae, quas ego incolui, evidentissimis ostentis ita infames, at nemo illas incolere ausus fuerit, quin assiduis umbrarum illusionibus & retris imaginibus, noctibus ferè singulis inquietetur: in quibus praeter nocturnos tumultus, quos medio ferè noctis silentio audiebamus, & horrendos fremitus cum ejulatu, striduloque vocis sono, quibus lachrymari & tremere videbatur, speciem hominis squalidam facie, vultu minaci, nigro corpore, aspectu formidabili nomen suum exprimentem, & opem implorantem, cernebamus, sed ne hoc quis fabulosum aut commentitium putet, auctor est Nicolaus Tuba, vir multa & expertae fidei, qui cum rei explorandae gratia cum nonnullis doctis juvenibus prima facie ad nos adventassent, cupido incessit animo, haec, quae à me promebantur, vero testimonio experiri, & an vera essent, intueri.

Et ne quid inexpertum relinquerent, noctem pervigilem egere mecum, ut rem notam exploratamque haberent. Neque eos opinio fefellit. Nam cum accensis luminibus pervigiles starent, haud procul species hæc dirâ terribilique facie & vultu tetro representata est, quam ipsi tumultuari, & diris nos vocibus agitare videbant. Cumque omnia clamore & tumultu streperent, risque intulit, ut territi & trepidi vix mente incolumi satis constarent. Et cum tota aedes gemitu funesto miserentur, singulisque cubiculis pestis illa importuna obversaretur, dum propius accederemus, illam retro cedere, & querulâ voce lumen effigere cernebamus. Demum cum multum diuque tumultuata fuisset, haud multo post, ubi multum noctis processit, visio omnis illa omittam miraculum ingens, quod mihi planè vigilantis majore aliquanto trepidatione haud multo post obvenit: nam cum tenebris obortis cubicali fores obserassem forma serâ, jaceremque in lectulo, nullâ adhuc quiete compositâ, lumine accenso, horribilem illam speciem foris jam tumultuari, & cubiculi fores manibus pulsare sentiebam. Nec multo post simulacrum illud operis aditusque foribus (vix credibile dictu) per commissuras scrimas in cubiculum se intromisit: quod sub lectulo meo jacens cum Marcus, alumnus & cliens meus, utpote qui è conspectu cubabat, terra & dira facie adspiceret, pavore subito consternatus, luctu & gemitu omnia opprobabat, ipsumque intromissum non sine formidine clamabat. Idque cum mihi, qui clausum cubiculi ostium aspicerem, vix credibile videretur, interim dirum illud simulacrum

quod sub lectulo jacebat meo, manum & brachium pro-
tendere, lumenque quod juxta aderat, extinguere vidi-
mus. Quo extincto libellos meos, & quicquid rerum e-
rat, querulâ voce miscere ac omnia evertere non desti-
tit. Mox cum ad tumultum exciti focii eò se contulif-
sent, lumenque intromissuri obversarentur vestibulo,
interim ipsum apertum cubiculi ostium manu aperire,
& foras effugere vidimus. Erat enim ipsius species, vt
planè perspeximus, simulacro hominis nigerrimo non
absemilis. Illud utique mirum fuerit, dignumque me-
moratu, figuram illam, dum nobiscum sic luctaretur,
cum fores cubiculi referasset, ab his, qui lumen intro-
misere, minimè conspectum, sed cum primum cubiculi
fores exiit, elapsum ex oculis, illicò discessisse, & in au-
ras evanuisse.

(t) Ut enim taceam, hic quasdam circumstantias immi-
sceri ab Alexandro, diversis typis in notâ præcedente
impressas, quæ fraudis humanæ intervenientis magnam
suspicionem excitent, sic ad hoc caput Alexandri com-
mentatur Andreas Tiraquellus Jctus celebris. Simile
quippiam refert Plinius junior l. 5. epist. 5. Sed ut se-
mel dicam, quid de hisce rebus sentiam, ego mera so-
mnia esse puto. Add. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 9. ibi-
que idem Tiraquellus.

XXIV.

Pergimus ad usum forensis doctrinæ nostræ. U-
bi ab initio quæritur: an hæc controversia ad forum secu-
lare pertineat, an ad Ecclesiasticum? Apud protestantes
haud dubie ad iudices caufarum civilium pertinet. (u)
Apud Pontificios quæstionem hanc foro Ecclesiastico
vindicari debere, nec causam video, nec qui eam huic foro
disertè vindicet, deprehendi, (x) etsi iudices caufarum ci-
viliurn

*Ad forum ci-
vile, non Ec-
clesiasticum
pertinere
hanc contro-
versiam.*

vilium in sententiis secundum doctrinam nostram ferendis, cautè processisse, & cum protestatione quasi addita, ne irritarent Clerum| Pontificium, talium spectrorum autorem præcipuum, (y) observaverim. (z)

(u) B. Strykius in *Uf. Moderno Pand. ad tit. locati cond. §. ult. in fine.* Hoc ferè ridiculum est, quod quæstionem hanc de spectris & nocturnis illusionibus, non ad iudicium Laicum, sed Ecclesiasticum pertinere velint Papon. de arrest. regn. Gall. lib. 10. tit. 3. arrest. 10. Pacian. de locat. conduct. c. 61. n. 12. nisi forè hoc ad Exorcisationes spectrorum referre velis. Hæ vero cum in Ecclesiis nostris non sint in usu, adhuc magis ridiculum est, si quis apud nos hanc quæstionem ad forum Ecclesiasticum trahere vellet.

(x) Nam video, quod Paponius d. l. arrest. 9. ista quidem verba adhibeat. *La mesme Cour (de Paris) & celle de Bourdeaux n'ont voulu depuis ainsi juger d'autant, que la question appartient à la religion.* Sed cum se referat ad Choppinum, sensus horum verborum ex hoc autore erit inquirendus. Ita vero Choppinus de *Sacrâ Politia lib. 3. tit. 7. n. 12. p. 792.* *Causam demum publice acitatum Patres Consilii esse pronuntiarunt, inquilino interim locationi stare condemnato &c.* Ex hoc autem Curie decreto observanda civilis Politie præcedens cum Religione consensio, ac velut consociatio Reipublice salutaris. *Isic enim senatus merito suspendit eum de re iudicium, ad sacram disciplinam pertinente, ne quid ex iis forè novaretur, que Ecclesiastica sunt professionis & cognitionis. Politicum vero privatae controversie caput, quod in temporaria adium locatione posuerat, à Patribus desinitum est, ad civilem hominum inter ipsos societatem mutuis commerciis devincendam ac retinendam.* Scilicet separandæ hic sunt duæ quæstiones.

stiones. Una, an apparitiones spectrorum vere existant, an saltem sint vanæ imaginationes conductorum? Posteriorius affirmaverat Choppinus locatorum partes sustinens, prius advocatus conductoris. Hanc quæstionem definire noluit Senatus Parisiensis, tanquam quæ pertineret ad forum Ecclesiasticum. Altera, an propter metum spectrorum, conductor possit recedere à contractu? quam contrà conductorem definivit Magistratus Politicus.

(y) *Vide supra dicta §. 4. lit. i.*

(z) *Vide modo notata lit. x.* Quamvis, si verum fateri velimus, hæc protestatio non multum profit Clero Pontificio, cum planè sit facta contraria. Dixit senatus, se decisionem controversiæ, an veræ sint apparitiones spectrorum, relinquere iudicio Cleri, & tamen pronuntiavit, quod conductor debeat servare contractum: id est, quod eius metus spectrorum sit pro vano habendus. Non poterat autem pro vano haberi, si apparitiones spectrorum ædes infestantium, veras esse iudicasset senatus.

XXV.

Quod itaque ipsum usum fori attinet, constat in Apud Pontificios aliquando pro conductoribus pronuntiatum. locis equidem, ubi Pontificia religio viget, à Iudicibus superstitionis, & fabulis Cleri Pontificii nimis addictis, aliquando pro conductoribus esse pronuntiatum (a)

(a) Huc pertinet exemplum, cuius Dionysius Gothofredus meminit *supra th. 18. lit. y.* Item aliud, à quo provocavit locator ad Senatum Parisiensem, ubi Tutorum Proprætor Anno 1575. dissolvi conductionem decrevit, quod refert Choppinus *d. l. n. 9. p. 784.* Ita Didacus Covarruvias *variar. resol. l. 4. c. 6.* semel atque iterum ita iudicatum esse in Prætorio Granatensi refert.

fert. Quod in Hispania eo minus mirandum, ubi Clerus majore potentia præditus est, quam in aliis regnis religioni Pontificiæ addictis.

S. XXVI.

*Aliquando
contra eos.*

Contra in aliis locis, ubi Magistratus Politicus istas vanas doctrinas Cleri, de apparitionibus animarum, ad pias fraudes pertinere sensit, sæpius adversus conductores, ut illis sine præstatione pensionis, à contractu locationis recedere non liceret, sententiam dixit b).

- (b) Huc refer exemplum jam ex Choppino ad §. 24. *Vil. x.* adductum. Item alia, quorum meminit Paporius d. l. 10. ar. 9. *Par arrest du parlement de Bordeaux prononcé en robes rouges par M. le President de Neesmon le 27. Mars 1595, que le mesme Caron rapporte livre 8. de ses Responf. chap. 232. & apres luy Peleus rapporte du 20. Mars la forme, qu'il a esté prononcé en les Questions illustres chapitr. 150. Au proces mis par devant le Senechal de Guyenne, ou son Lieutenant entre Robert de Vigue, propriétaire de certaine maison sise à Bordeaux, appellant, & Jean le Tapy locataire intimé, la cour mit l'appellation & ce, donc avoit appellé au néant, & cependant deputa commissaires pour transporter sur les lieux, & visiter la maison tant de l'intimé, que des voisins, pour estre juges oculaires de fait de la cause: la Cour n'adjoustant facilement soy à tels spectres & illusions pretendues, ainsi, qu'a remarqué auparavant longuement le docte Arnoldus Ferrerius, Conseiller en ce parlement, en son Commentaire sur la Coustume de Bordeaux tit. de locato §. 3. &c. Tertium exemplum præbet Lucianus Svavis (Lucien Soefvè)*

com
tam
duct
infel
supra
C
dum
fuit
atqu
quifi

Soefvè) dans le nouveau recueil des plusieurs questions notables cent. 2. chap. 32. ubi refert, in simili causa iudicatum fuisse in supremo Parlamento Parisiensi, contra conductorem, in primis cum sola foemina à conductore producta essent ad probandam spectrorum apparitionem, quæ deposuerant, lectos & stragulas ipsis fuisse nocte per vim invisibilem ablatas, cibariaque remota, massas quasi igneas in ædibus huc illuc volutatas, tigna ex superiore domus parte deiecta; sensisse etiam se circa ventrivuli regionem ita comprimi, ut vix spiritum ducere potuerint. Quæ omnia vel a naturalibus causis, vel hominum illudentium artibus orta esse poterant. Accedebat, quod spectrum à nemine visum esset, aut plagas hominibus infixisset, vel aliud damnum dedisset. Vid. Dn. Præs. in addit. nov. ad Huber prælect. ad tit. Inst. de locat. cond. p. 304.

XXVII.

Apud Protestantes, etsi non pauci Jurisconsultorum in *Apud Protestantes ipsa* commentariis juris doctrinæ nostræ contradicant, non *questio rarissime in foro* tamen facile occurret exemplum sententiæ, pro conductoribus latae, quia videlicet casus de spectris ædes *ventilatur.* infestantibus, non obveniunt in usu forensi, ob rationes suprà adductas. (c)

(c) Suprà §. 15. lit. n.

XXXIX.

Possimus tamen adducere exemplum, ubi secundum *Sententia contra a conductoribus exemplum* sententiam nostram metus spectrorum pro vano fuit declaratus, & conductoribus silentium impositum, atque diligenter in autores fictarum apparitionum inquisitum. (d).

(d) Conductor quidem Berolini ædes locatoris spectris infestari assererat, & eum in finem producebat testes domesticos. Locator excipiebat, id fieri per calumniam, & ad fraudem detegendam obtinebat, ut autoritate publica militibus custodia ædium nocturna committeretur, qui cum per aliquot noctes excubias egissent & nihil insoliti animadvertissent, locator urgebat, ut conductor ipsi ob diffamatas ædes satisfaceret, & ancillam conductoris, a qua diffamatio illa ortum duxerat, carcere mancipari curabat. Cum vero hanc ad juratam purgationem, an vera an falsa deposuisset, admittere non videretur esse consultum, ob metum perjurii, sequenti modo à JCtis Hallensibus Anno 1709, fuit pronuntiatum fuit mense Aprilii. Daß C. D. durch zween Prediger des Orts vor Gerichte beweglich zuzureden / die Wahrheit nicht zu verheelen / und sie dann ernstlich zu befragen / ob dasjenige was sie ausgesagt / nicht von ihr erdichtet / od. v. von andern / und von wem / daß sie solches vorgeben solte / ihr an die Hand gegeben sey ; auch zu was Ende solches geschehen ? Und ergethet sodann ihrer Person halber oder sonst in der Sache fernner was recht ist. So viel C. E. betrifft / nachdem die von ihm geschehene Diffamatio des L. Hauses in actis gnugsam bewiesen worden / so wird ihm gestalt. n Sachen nach ein ewiges Stillschweigen aufferleger / und ist er hiernächst über die act. n. 20. ad art. 5. von denen Zeugen gemeldet. ärgerliche Reden zu vernemen / und mit seiner Nothdurfft deswegen zu hören / worauf so dann auch seiner Bestrafung halber oder sonst ergethet was sich zu Recht gebühret. Et mox eod. anno mense Junio. Daß wider C. D. weiter nichts vorzunehmen / sondern sie gegen Leistung des gewöhnlichen Urphedens nunmehr der gefänglichen Haft wieder zu erlassen. So viel C. E. betrifft ist selbiger

ger seines Einwendens ungeachtet / auf die n. 37. specific-
ciren Umstände mit Categorischer Antwort sub poena
confessi & convicti, sich einzulassen / schuldig.

COROLLARIUM.

FAutores spectrorum elegantem cautelam suppe-
ditant iudicibus, ne facile credant testibus super
delictis ab aliis commissis, vel super indiciis de-
ponentibus. Ita enim Lavaterus *Part. I. cap. 19. p. 86.*
Audivi ex viro gravi ac prudente, ditionis Tigurinae præ-
festo, qui asseverabat, se estate summo mane cum servo
suo iter facientem per pascua, vidisse quendam sibi optimè no-
tum, qui eque sese nefarie commisceret. Se obstupefactum
reflexisse iter, pulsavisse aedes illius, quem putabant se vi-
disse, atque certò comperiisse, quod ille cubiculo suo nun-
quam egressus esset. Et nisi omnia diligenter explorasset,
bonus & honestus vir in carcerem detrusus & tormentis
subjectus fuisset. Hanc historiam ideò recito, ut JUDICES
in huiusmodi casibus CAUTI sint. Diabolus enim hâc viâ
sæpè innocentibus insidiatur. Uxor Henrici secundi Impe-
ratoris, Chunegunda, suspecta fuit de adulterio, rumores-
que sparsi, quod nobili quodam juvene in aulâ nimis fami-
liariter uteretur. Diabolica enim illius juvenis species è
cubiculo Augustæ egrediens, sæpè conspecta fuit. Illa postèâ
calcando ignitos vomeres, absque ullo pedum detrimento,
sua innocentiam declaravit. Quid ego de istis histo-
riolis sentiam, ex disputatione facile patebit. Non ta-
men svaderem iudici, ut hodie ejusmodi cautelam pro
ratione decidendi afferat, etiam apud Pontificios, nec
Advo-

Advocato, ut in eâ fundamentum ponat defendendorum inquisitorum, nisi hi forte æquè faventes Judices habeant, uti Chunegunda imperatrix. Nam probatio quidem innocentia per ignitos vomeres, hodiè, etiam apud Pontificios, cautelam illam non adjuvabit.

FINIS.



s
-
2
i
i
e
i
i
-
2
a
-
a
-
n.
i
di
m
u-
li-
at
o-
los
fis
o-
m
m

DS A 978 (1/6)

3

ULB Halle
003 777 421



5b





F. F. S.

UGURALIS JURIDICA,
DE

**RESCIN-
DICTUM
CONTRACTU
DATIONIS OB ME-
TRORUM,**

Quam
BENEFICENTISSIMO,
INCIPIT A DOMINO,
JOHANNES WILHELMO,
MARCHIONE BRANDENBUR-
BURGENSEM GUBERNATORE,


&c
PRAESIDE
JOHANNES THOMASIO,
CENSURAE BORUSSIAE CON-
SILIUM UNIVERSITATIS FRIDERICIANAE
ORDINE PRIMARIO, FACULTATIS
MAGISTRO, ET H. T. DECANO,

PERMISSIO
AD HONORES OBTINENDI,
FRIDERICIANA
ORDINE MAJORI

s. d. 10. April. MDCCXI.
In examini submittit

JOHANNES HAMILTON,
Candidatus.

HENCKELII, Acad. Typ. 1711.



Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

Farbkarte #13

B.I.G.